









45  
DE  
**INIVRIIS**  
**SIBI IPSI ILLATIS**  
**LIBER SINGVLARIS.**  
**30**

---



Fa 1754

---

AVCTOR  
**SAMVEL REICHEL**  
LIPSIENS.  
SOCIET. IENENS. LATIN. SODALIS

---

VITEMBERGAE A. S. R. CICICCLXIII.

---

  
PRELO EPHRAIM GOTTLÖB RICHSFELDI ACAD. A TYPIS.

30

INIVARIS  
SIBI IPSA ILLATIS  
LIBER SINGULARIS



SAMUEL REICHEN

LIPSIENSIS  
SOCIEL INGENIEUR ETIN COEPTOR

ALBRECHTUS VON GÖTTSCHE  
CARTOGRAPHA POLONIAE POLONIAE  
GOTTSCHAEVIANAE LIBRARIÆ GOTTSCHAEVIANÆ

DVVM VIRIS  
AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS, EXCEL-  
LENTISSIONIS, CELEBERRIMIS VIRIS

V I R O  
IOANNI TOBIAE  
RICHTERO

IVR. VTR. AC PHIL. DOCTORI, ET PROF.  
IVR. SAX. PVBL. ORDIN. IN ACADEMIA  
LIPSICA CELEBERRIMO

NEC NON

V I R O  
MARTINO GOTTLIEB  
PAVLI

IVR. VTR. ET PHIL. DOCTORI, DIGESTI  
INFORTIAT. ET NOV. IN ACADEMIA VITEM-  
BERGENSI PROFESS. PVBL. ORD. CVRIAEC  
PROVINCIAL. SCABINAT. ET FACVLAT.  
IVRID. ASSESSORI CELEBERRIMO

VIRIS  
DE ACADEMIIS PATRIIS AC RE LITTERARIA  
LONGE MERITISSIMIS

PATRONIS SVIS  
GRAVISSIMIS  
FAVTORIBVS CERTISSIMIS, DOCTORI-  
BVS AC PRAECEPTORIBVS  
SVIS OPTVMIS

DAMVIRIS

AMPITISSIMIS CONSULTISSIMIS EXCEP.  
LENTISSIMIS CELEBERRIMIS VIRIS

VIRI

IOANNI TOTIAE  
RICHTERO

JURATR. AC PHIL. DOCTORI ET PROF.

JUR SAX. PAP. ORGIN. IN ACADEMIA

LIPSICO CELEBERRIMO

nece non

VIRI

MARTINO GOTTLIEB  
PAULI

JUR. AUTR. ET PHIL. DOCTORI DIGESTI  
INSTITUTAE ET MOI IN ACADEMIA VITEM  
BERGENSI PROLESSE BARF. ORD. CARIAE  
PROVINCIAL SCABINAT. ET FACULTAT.  
LUD. ASSOCIONI CELEBERRIMO

VIRIS

DE ACADEMIS PATENS AC RE LITTERARIV  
longe MARTITISSIMIS

PATRONIS SAVIS

GRAVITISSIMIS

EXUTORIAS CERTISSIMIS DOCTORI  
BAE AC TRACTORIBA  
SUS OPTIMIS

VIRI  
EXCELLENTISSIMI, CONSULTISSIMI,  
AMPLISSIMI,  
PATRONI, FAVTORES, AC PRAECE.  
PTORES PIA MENTE COLENDI!



uod CICERO de Scaeula, quo Cicero  
Praeceptore usus fuerat: haec nos<sup>19</sup>.

a Scaeula didicimus: ego de Vo-  
bis, DOCTORES OPTVM! di-  
cam. VOBIS enim debeo, quae  
didici, qua propter et ego apud  
animum constitui, VOBIS pro beneficiis Lipsiae, dul-  
cissimae meae patriae, mihi exhibitis hanc commenta-  
tionem, ut grati animi monumentum ponere. Semper  
placuit Regulus ille in magistrum NICOSTRATVM vid. I Ct. Hi-  
span. los-  
idem

Ferd. RE<sup>G</sup>gratus, de quo commemorat Scacuola in L. XXXI.D.  
TESIVS in  
rel. Acad.  
Cap. II. de S. P. V. Sit mihi ille exemplo. Vos, Celeberrimi

Viri, Patroni Certissimi! doceam, adhuc esse, qui be-  
nefactorum non oblii gratiam ostendant mentem.

BALDVI.  
NVS ad PA.  
PINIANI librum de conquestum esse discipulis. „Non omnes, inquit, tam  
finitionum

felices sunt doctores, quam Nicostratus, qui non solum  
doctiorem sed et meliorem reddiderat discipulum. Saepe  
conqueri cogimur, quod experimur nimium, multo  
plures esse in hoc quoque genere Nerones, quam Sci-  
piones, aut Alexandros, aut Regulos: Sed credo id fie-

ri, quia docendo non tam possimus facere bonos,  
quam facimus eruditos, et imprudentes in felices.

que frequenter in sinu alimus viperam, quod, utinam  
non accidat aliis tam saepe, quam accidit mihi. „At  
enim vero ne, quod Balduinus et alii de Suis,  
de me conqueratur, ostendam, licet iam a VOBIS  
absim, me quoque absentem Vos venerari, nullam  
que beneficia mihi exhibita mihi eripere posse obliuio-  
nem. Sunt enim tanta, quanta ne parentes qui-  
dem, quibus animus tantum, non facultates erant,

mihi

mihi praestare valuerunt. Valedicebam scholae nesciens, vnde sumerem, quo degerem, et TV, OPTVME RICHTERE! eras, qui meis angustiis succurreres. Non solum me inter Tvos recipiebas Auditores, mihi que permittebas, qui omnia collegia, quae habebas, frequen-  
tare possem; sed et VIRO CELEBERRIMO PAVLI  
me commendabas. TE auctore Ille Patronus mihi Suis  
interesse permittebat Auditoribus. Promouebatis et  
studia mea, et felicitatem. Facilis ad Vos mihi erat  
aditus. Vos, quandocunque vellem, ubi res mihi vel  
erant vel videbantur dubiae atque obscurae, consulere  
poteram, VOBIS que nihil erat gratius atque iucundius,  
ac me iuuenem coram docere magis magisque  
incitare, ut Vos intrepide adirem saepissimeque con-  
sulerem, qua propter saepe meditatus sum, quibus tan-  
ta, quanta enumerare vix valeo, reminareret beneficia.  
Sola itaque in Vos, GRAVISSIMI PATRONI! pieta-  
te ac religione motus praesentem libellum, vti Regulus  
Nicostrato coenaculo, VOBIS offero, simulque oro ro-  
goque, velitis illum beneuole excipere, eundem so-  
lummodo ut tesseram grati animi ab omni lucri cupi-

dine alieni considerare, non ex rigore, sed ex aequo ac  
bono de illo iudicare, me vero in posterum dignum  
censere, quem mirifico patrocinio, amore incredibili,  
singularique fauore prosequi pergasisti. Quod si, ut  
nullus dubito, euentus vere respondet speratis; voto-  
rum ex aſſe compos factus mihi videbor. DEVS ve-  
ro, qui in VOBIS optimum decus et praesidium fir-  
missimum Academiis patriis concessit, Vos, amicitiae  
arctissimae vinculo iunctos, seruet, conseruet. Tueatur  
Vos incolumes, tectos omniq[ue] inuidia superiores!  
Tueatur Vos in rei litterariae ornainmentum, politicae  
fulcimentum! Tueatur TE, OPTIMUM RICHTERE,  
PATRONE ac FAVOR CERTISSIME! qui hodie,  
quem diem faustum felicemque nostri fasti nomine in-  
signiunt BARTHOLOMAEI, Tuum celebras natalem,  
ita, ut eundem multoties viuas, ut viuas eundem omni  
bonorum ac felicitatis genere beatus! Viuas illum cum  
Tuis, Tuis Deliciis, ita, ut neque morbus, neque ca-  
sus, neque ipse acerba mors VESTRA turbet gaudia,  
Vestramque interruppet felicitatem! Viuas et mihi,  
quem huc usque in TE, Patrone ac Praeceptor Optu-

enib

e )o(

me!

me ! imienisse laetor , Patronus isque Certissimus ! Ad  
TE, VIRO CELEBERRIME, OPTVME PAVLI ! me  
verto. Sit ille dies semper auspicatus , quo Patriam  
nostram , Lares Penatesque Gedanensium linquens , ite-  
rum salutabas . Sola pietate ac amore naturali in Pa-  
triā TIBI praeprimis caram motus eo tempore , quo ,  
vti ipse fateris , spem , cogitationemque cum Illustri ac  
florentissima Gedanensium Republica Saxoniam , Pa-  
triā dulcem semper atque iucundam denuo commu-  
tandi , deposueras fere prorsus , redibas , eoque anno ,  
qui ob diuersas historiae totius aeque ac Saxonicae pe-  
riodos memoretur , dignissimo , solenni Oratione Pro-  
fessionem in Academia Vitembergensi Ordinariam cle-  
mentissime TIBI oblatam auspicabaris . Sit idem ille  
dies mihi auspicatus , quod ille mihi reddidit Patro-  
num , quem Gedanum ad tempus mihi eripuisse vide-  
batur . Conseruet TE Immortalis DEVS in Aacade-  
miae decus et luuentutis studiosae emolumentum ! Con-  
seruet Vos Rector omnipotens , VOBISQUE quotidie  
exhibeat vires denuo crescentes . Vireatis , floreatis  
ita , vt felicitas VESTRA meritis respondeat multo iu-  
cundissima , vt eadem in dies magis magisque crescat !  
At ne limites transgrediar , VOBIS , certissimi Fauto-  
res , Patroni pie colendi ! me meaque studia mirum  
in modum commendo , simulque affirmo , me hac com-  
menta-

in elegan-  
tiss. Progra-  
de Burgen-  
suum origi-  
nibus. Vi-  
temb. 1763.

mentatione VOBIS dicata nihil amplius efficere vo-  
luisse, quam VOBIS offerre ea, quae VOBIS VE-  
STRAEque Institutioni debeo, quam VOBIS ostende-  
re, et inter Nostrates esse Regulos, quam a VOBIS  
humanissime petere, ut me quoque absentem, quod  
fecistis mihi praesenti, non diligatis solum, sed ame-  
atis. Ego vero, quoad viuam esse non desinam.

## SPLENDIDISSIMORVM VESTRORVM N O M I N V M

SAMVEL REICHEL

Cultor perpetuus

Stollbergae in Hermunduris  
Mense Augusto  
A. S. R.

1623. Priorum die constituti iure merci



## CONSPPECTVS PARAGRAPHORVM

- Praefatio. §. V. Autochiriae species.  
§. I. Instituti ratio. §. VI. Iniuriae in se ipsum ex  
§. II. Iniuriae definitio. principiis Theologiae naturalis.  
§. III. Praeparatio ad thema. §. VII. Iniuriae sibi ipsi illatae  
§. IIII. Iniuriae sibi illatae ex ex Iuris Naturae praeceptis.  
principiis Ethices, ubi ex auto- §. VIII. Ex politices principiis.  
chiria quaedam. §. VIII. Conclusio.

### P R A E F A T I O



mnem disciplinam suas pati mutationes, qui-  
libet suae artis gnarus mecum fatebitur. In-  
tellexi quotidie, Theoriam, quam versari sta-  
tuo circa operationes mentis multum differ-  
re a praxi circa actiones liberas a nostra vo-  
luntate ductas occupante, qua propter constanter affirmo, ne-  
que theoriam solam efficere eruditum, neque solam praxin,

A sed



sed utramque coniungi debere. Praxis enim sine theoria (iam  
 de iuridica loquor) nihil est, quam scientia formularia, qua uti  
 solent, ut vocantur, Rabulae, et si corpus sine anima fingere  
 cupias; considera praxin sine theoria. At unde haec vitia?  
 Fontes (\*) plerumque negligunt, qui soli operam nuant  
 praxi, omnia sine ordine applicare ad casus minus conuenien-  
 tes tendunt, et pro vera Iurisprudentia applicata cum circum-  
 feraneis medicis pestilentiale vendunt mixturam: quod inde  
 originem ducere mihi videtur, quod eiusmodi homines scribe-  
 re, et multum quidem scribere, legere ac pro vulgus more  
 alios carpere, at non rite iudicare et recte meditari didicerint.  
 Quid? ipse vidi ICtorum nomen profitentes, qui tamen, proh  
 pudor! leges euoluere nesciuerunt. Philosophiam, et ex huius  
 disciplinis scientiam rationalem existere quidem audiuerunt;  
 quid vero in se contineat? plane ignorant. Ius naturae nomi-  
 nare sciunt, quod vero basis sit ac fundamentum totius Iuris-  
 prudentiae, nesciunt. Fugit illos vis, efficacia usus que,  
 quem praefstat ius aeternum in applicatione ad gentes aequa ac  
 ad leges illustrandas atque applicandas. Pronocant saepissime  
 ad leges patrias, et tamen harum cognitionem ipsi fugiunt.  
 Taceo ius publicum uniuersale, particulare ac ipsam historiam.  
 Sunt, quibus sola Theoria placeat; at nec hi assequun-  
 tur, quod cupiunt. Sibi quidem discunt, aliis vero consulere  
 non valent. Recte igitur colligere mihi videor, Theoriam si-  
 ne Praxi, hancque sine illa esse non posse. Necesse igitur est,  
 ut nexus, qui inter utramque intercedit, doceatur. At ubi  
 ille nexus? Adeamus Theologos, Medicos, Philosophos, quae-  
 ramus ex illis ipsis, qualis inter theoriam et praxin disciplinae,  
 quam profitentur, sit nexus? et quilibet arris suae gnarus fa-  
 rebitur, quemlibet habere, cur de conflictu et discordia con-  
 queratur: nullum esse, qui de concordia glorietur. Quae  
 cum ubiuis in disciplinis ac scientiis deprehendantur; quid  
 mirum, si de Iurisprudentia eaedem audiantur querelae? quid  
 mirum, si veri ICti calamos acuant hosque naevos accu-  
 sent?

(\*) Vid. Georg. BEYERI de utili et necessaria Autorum iuridicorum et iuri-  
 arti inservientium notitia, Sched. Lips. 1726. Sched. I. p.m. 116.

sent? (\*) si de iurium incertitudine conquerantur? quae omnia suis iam temporibus riderunt CICERO, IULIVS CAESAR, POMPEIVS et alii ante Iustinianum, qui in ordinem redigere ius voluerunt; (\*\*) at his non successit, quod laudabile ceperant, consilium. Erat Imperator Iustinianus, cui gloria atque honor erat seruatus. Redigi in ordinem leges, earumque mollem iubehat. Ipse profitetur omnem legum tramitem, qui ab urbe Roma condita et Romuleis descendit temporibus, ita esse confusum, ut in infinitum extendatur, et nullius humanae naturae capacitate concludatur: Primum nobis fuit studium a sacratissimis retro Principibus initium sumere et eorum constitutiones emendare et viae dilucidae tradere, quatenus in unum codicem congregatae et omni superfacua similitudine et iniquissima discordia absolutae, vniuersis hominibus promptum sua sinceritatis praebent exemplum. Hocque opere, pergit Iustinianus, consummato et in uno volumine nostro nomine praefulgente coadunato, cum ex paucis et tenuioribus reuelati ad summam et plenissimam iuris emendationem peruenire properaremus et omnem romanam sanctionem et colligere et emendare et Auctorum dispersa volumina uno codice indita ostendere, quod nemo neque sperare neque optare ausus est: res quidem nobis difficillima, imo magis impossibilis videbatur, sed manibus ad coelum erectis, aeterno auxilio inuocato, eam quoque curam nostris reposuimus animis, Deo freti, qui et res penitus desperatas

A 2

dona-

(\*) Vid. I. T. CARRACH diss. de conflictu theoriae et praxeos iuris. Hal. 1736. Cel. Mart. Gottl. PAVLI, quo Lipsiae Praeceptore ac Patrono usum me fuisse, maxima cum voluptate recordor, in d. inaug. de theoriae et praxis iuridicae discordia. Lips. 1747.

(\*\*) De Cicerone, qui librum de iur. ciu. in artem redigendo scripsisse fertur et de Scœuola testatur A. GELLIVS N. A. I. 22. de Caesare SVETONIVS in vita Caesaris c. 44. de Pompeio legi potest ISIDORVS HISPALENSIS L. V. Orig. c. 1. Idem conatos fuisse HADRIANVM et THEODOSIVM IVNIOREM Imp. docent illius Edictum perpetuum et huius Codex Theodosianus.



donare et consummare suae virtutis magnitudine potest. (\*)  
Et quis nescit, quae ius ciuale ab Imperatore IUSTINIANO  
collectum sub PHOC A subierit fata, et quae postea ipsa nostra  
Iurisprudentia? at ubi medela?

(\*) IUSTINIANVS in Const. de concept. Digest. §. §. De Iustiniano, qui  
hoc prolixum opus felici successu finiuit, qui legatur dignus est WAR-  
NEFRIDI locus de Gest. Longob. l. 25. ibi haec: Leges quoque Romano-  
rum, quarum prolixitas nimis erat et inutilis dissonantia mirabiliter uitata  
correxit. Ceterum quod Iustiniani eruditionem attinet, sunt, qui  
dicant, eundem fuisse Analphabetum, sunt quoque, qui asserant, eundem  
Iurisprudentiae, Theologiae, Philosophiae, Mathesi aliisque scien-  
tias operam dedisse, quod posterius et ego, teste AGAPETO, statuo.  
ICtum fuisse IUSTINIANVM, ipse testatur PROCOPIVS in Aenea: Quae  
sibi, inquit, rescripto respondenda forent, haec non vti mos est, Quae-  
stori committebat, sed vi plurimum sumebat sibi pronuncianda. Ma-  
gna loude se gessisse Iustinianum praesidem in Conciliis et sedasse ibi  
dem turbas Manichaorum aliorumque hereticorum, docet HARDVINVS  
in Act. Concil. T. II. Ipsum vero IUSTINIANVM theologica edidisse et  
per diuersas prouincias misisse scripta, tradit ISIDORVS. Iustinianum  
vero αιναφιβητον non fuisse, docuerunt ALEMANNVS, TRIVORIVS,  
KÜSTERVS, et alii. At quosum haec? Sunt cuique suae virtutes,  
suaque vita.



Q. D. B. V.

Q. D. B. V.  
DE  
INIVRIIS  
SIBI IPSI ILLATIS  
LIBER SINGVLARIS.

---

§. I.

*Institutio ratio.*

**I**LIADA post Homerum scribere, noctuasque ferre videor Athenas, cum quaedam de iniuriis cum eruditis communicare apud animum constitui. Scio equidem, omnia Systemata aeque ac Compendia repleta esse, satisque in illis de iniuriis; at licet alii falcem in messem miserint, tantum abest, ut rite excusserint, ut potius messe iam facta spicas liquerint, quas colligere iam conductit. Nullibi, quantum legere me memini, inueni aliquid de INIVRIIS SIBI IPSI ILLATIS, qua de causa neque inutilem neque plane iniundum me suscepturnum esse autumo laborem, si, quantum vires permittunt, hanc enodare atque exponere coner materiam, aliisque me doctioribus ansam praebeam, vltierius in campo, quem iam aperio, progrediendi. Quotidie fere video forra nostra frequentari ab iniuriatis famam, honorem, existimationemque sibi competentem ab iniuriantibus vindicantibus. Denuntiant iniuriati: citantur iniuriantes, comparent iidem et iisdem pro iniuriarum magnitudine poenam imponunt iudices. Coguntur plerumque iniuriantes in conciliatae amicitiae signum dextram porrigere iniuriatis. Quae, qualis, satisfactio! quasi haec manuum implicatio famam, honorem, existimationem que, quae tamen est iudicium extra personam honoratam, restituere posset. (\*) Sunt et plura, quae circa iniurias

A 3

(\*) Cf. Chr. THOMASII d. de usu actionum poenalium iuris rom. in fo-  
ris Germaniae Cap. III. §. fin.



iurias earumque modum procedendi easque vindicandi occurunt, (\*) quae lubens omitto, cum mihi tantum sumserim, de iniuriis sibi ipsi illatis paucis meditari, ita, ut animum verum ad Philosophiam et in primis ad Ethicam, Theologiam naturalem, Jus aeternum et Politicam. Arbitraria circa iniurias ad aliud differam tempus.

### §. II.

#### *Iniuriae Definitio.*

**I**NIVRIAM in sensu latiori pro omni eo, quod non iure fit, vel strictiori pro contumelia sumi, plerique affirmant, quem tamen significatum hoc loco admittendum non esse statuo. Ex omissione officiorum, quae vnuquisque Deo, aliis sibi que ipsi deber, iniurias ducere constanter credo. Quicunque enim ea omittit, quae vel Deo, vel aliis, vel sibi debet, vel Deum, vel se ipsum, vel alios laedit. Laedere dicitur ius quoddam, vel sibi vel aliis inuitis adimere: laesionem vero ex violatione r̄a suum cuique oriri, recte statuit KOEHLERVS. Quibuscumque modis laesio fieri potest; iisdemque, iniuria locum sibi vindicet, necesse est. At enim vero cum h. l. iniuria actiones praesupponat, quas quis sibi ipsi imputare debet, non abs re alienum esse puto, paucis imputationis demonstrare notionem. Imputatio est iudicium, quo quis pro Auctore habendus intelligitur eius, quod iure vel iniuria factum fuit, ut ei sua iura et officia ex actione ipsa nata assignentur: quam definitionem si consideremus; facili negotio intelligimus, actiones, cum homo naturae legibus sit adstrictus, non solum ad earum normam esse suscipendas et dirigendas; sed et patras ex iisdem esse diiudicandas. In ipsis actionibus patratris duo sunt spectanda, nimirum ipsa actio, quae ex lege diiudicari debet, sit recta an prava? et deinde, quis eam patrauit? quem actionis Auctorem sive actionis causam vocant. Vt autem de laesione data resarcienda tenetur is, qui quid in nos pecca-

(\*) Vid. Eiusd. d. de Actione Iuiuriarum.

peccauit; ita et tenebitur, qui se ipsum laedit, in se ipsum peccat. eoque modo se ipsum iniuriis afficit. Plura de ipsa imputacione dici possent; at supersedere possum hoc labore, cum fatis egregieque huic themati fecerit V. C. TRENDELBVRG. (\*)

### §. III.

#### *Praeparatio ad thema.*

**L**ELEM naturalem, iura arbitraria iam non curro, esse rationem agendi, qua mortales adstringuntur, nemo facile negabit. Cum vero homines obligati sint ad harum legum naturalium actiones dirigere suas, quilibet facillimo negotio intelligit, neminem vivere posse sine lege, cuius idea hominibus tantum propria est. Legum virtutes sunt praecipere, veterare, (\*\*) quarum effectus praemia vel poenae; at vnde harum legum obligatio? lis inter eruditos alitur nutriturque. (\*\*\*) Omnem obligationem ex lege dimanare, nec aliter posse cogitari, ipsa obligationis definitio ac natura docet. Est obligatio necessitas moralis ab imperante nobis imposita actiones nostras ad eius iussum instituendi: quam definitionem si intueamur; animaduertimus, hanc necessitatem nobis impositam prae supponere ac prae sumere aliquem, qui imponendi ius et facultatem habeat. His positis necessario efficitur, ut cui potestas competit subditos obstringendi, illi quoque competit facultas iisdem leges, quarum veritates obligationes apud homines gignunt, ferendi et prae scribendi. At licet haec in

se

(\*) Cf. TRENDELBVRG Specimen iur. nat. exhibens genuinam imputationis notionem. Helmst. 1761. Sufficiat, vnum nominasse, cum ex instituto de imputatione non agam.

(\*\*) Leges permissuas, quas non nulli statuant, ad initii non posse, statuo. Deficit moralitas, ergo et obligatio.

(\*\*\*) Cf. Chr. THOMASIVS in Fund. I. N. et G. L. I. c. 4. KOEHLERI d. de obligatione moralis. ADELVNG d. de verae obligationis natura. ac usu.



se vera sint, noua oritur quaestio, eaque valde controversa, vnde nimurum Deo sapientissimo Legislatori ad obsequium simus obstricti. Putant alii, ex beneficiis nobis exhibitis, alii ex creatione hanc promanare obligationem: alii aliam suppeditant rationem. Creationem esse actum physicum, a quo ad aetum moralem, qualis est obligatio ad obsequium, ob diuersitatem concludi nequit, quilibet mecum fatebitur. Statuto mediante creatione sequi imperium, quo in mortales gaudet Deus summus aequa ac sapientissimus Princeps. Imperium sine coactione vel saltim directione cogitari potest nullum. Coactio illa, quam recte vocant necessitatem moralem, efficit, ut ad certum finem tendere debeamus, quem obediendo et legibus obtemperando assequimur: leges vero contemnendo et transgrediendo praetermittimus, eumque non assequimur. Iussus siue voluntas superioris hanc coactionem, siue si mavis, hanc necessitatem moralem nobis imponentis vocatur Lex: Leges vero coniunctum summae efficiunt Ius, quod et dicitur Legum complexus. Vi ergo imperii, quod Deo summo ac sapientissimo Legislatori competit, eidem ad obsequium praestandum obstrictos nos esse, constanter affirmo.

PRIVS, quam ad ipsum peruenio thema, quaedam de officiis, e quorum omissione iniurias deriuandas esse asserui, oportet, praemittam. Actionem, ad quam agendam vel omittendam *lege* obligamur, voco officium. Omne officium spectat ad finem quendam: ergo officium praestare dicimur illi, cuius finibus praestando illud inseruimus. Cum autem tantummodo finibus entis ratione et intelligentia praediti inseruire possimus; sequitur, ut quoque officium solummodo praestari possit enti ratione et intelligentia gaudenti: quibus praestruitis, proprius accedere valeo ad thema mihi propositum. Videam, cui debentur officia? omne officium, ad quod praestandum obligamur, vel Deo vel hominibus debemus. Quae hominibus praestanda sunt, vel nobismet ipsis extra societatem humanam, vel aliis extra nos in societate praestare tenemur;

nemur; hinc quae praestanda sunt Deo ad Theologiam naturalem: quae aliis in societate humana extra nos pertinent ad ius naturae stricte sic dictum: quae vero nobis ipsis debemus, dissemus in Ethica. Vt autem ius vel perfectum vel imperfectum est; ita quoque officium, quod respondet iuri alterius perfecto, nomine perfecti notatur, vel etiam dicitur officium necessitatis iustitiae, quod alterius iuri imperfecto responderet, imperfectum, vel officium humanitatis, amoris ac benevolentiae vocatur. In his remedia coactiva desunt: in illis adhiberi possunt et debent.

### §. III.

*Iniuriae sibi illatae ex Ethices principiis demonstrantur.*

Nunc me accingo ad Philosophiam moralem, vbi praeparatus mihi in mentem venit quaestio, vtrum illa sit aeterna? Erunt, qui me reprehendant, quasi vulgarem et indubiam proponerem quaestionem, de cuius affirmatione ne nullus quidem homo dubitaret, quod Deus eius esset auctor, qui sibi nunquam inueniretur contrarius, ipseque esset aeternus. Omnia vera. Videam tamen, an ne nullum quidem dubium moueri possit? Tres admitti posse distinctiones, bene intelligo. Ratione Legislatoris, qui sapientissimus est Deus et totius generis humani, negari nequit, Philosophiam moralem esse aeternam: at si hominem extra alios considerem, aliter res se habet. Extincto illo, extinguitur et illa. Decisa hac quaestio, propero ad rem: Deum sapientissimum ens pro sua sapientia voluisse, nos esse felices, nemo negabit: Ergo simul nobis praeceperit *Pacis internae* atque *externae* cultum. Haec absolvitur iustitia erga alios externa: illa conseruatione et perfectione sui ipsius extra societatem humanam. Ethices ergo Principium est: *Cole pacem internam*, sive, *Conserua te ipsum*. Quicunque igitur ea transgreditur, quibus se ipsum per-

perficere ac conseruare potest; ille in se ipsum saeuit, se laedit, et necessario in se ipse iniuriis est.

**E THICA** cum versetur circa virtutes morales internas, efficitur, ut, qui eas virtutes omittit, vitiis, quae virtutibus opponuntur, se dedit, iisque se obruit, conseruationi suae male consulat et necessario se ipsum iniuriis afficiat. At ne hoc fiat, sedulo id agere debet, ne pro re ipsa umbram amplectatur. Sunt enim virtutes, quae speciem tantum prae se ferant, et vere vitiorum naturam induant, quas aequa ac ipsa vicia fugere debet. At enim vero cum conseruatio sui ipsius animam, corpus statimque hominis respiciat, omnia haec obseruaturus, quantum vires permittunt, paucis enodabo.

**C O N S E R V A T I O N I** sui ipsius primario repugnat, si quis sibi ipsi cruentas iniciat manus mortemque sponte sibi acceleret, id quod nomine Autochiriae notatur, quae propterea est fugienda, quod homines obligati sunt facultatibus corporis ita ut vsus earum fini, propter quem corpus a natura iisdem est instructum, vere respondeat. Finis vero in omnibus ultimo tendere debet in gloriam Dei. (\*) Autochiria vocatur quodcumque factum, quo quis sibi vitam adimit. Prius, quam vitupero Autochiriam, inquiram in eius moralitatem, quae rei docet turpitudinem aut honestatem. Scio equidem virtutum leges ac regulasducere ad beatitudinem, ad felicitatem, quae consistit in tranquilla affectuum usurpatione. At quid, si impedimenta se exerant, quae removeri nequeunt, nostrae vero felicitati obstant? Felicitas est finis, ad quem media deesse videntur. Videndum est, unde eiusmodi impedimenta ortum trahunt, ab homine ipso, cuius felicitas impeditur, an ab aliis? Dicentem acclamatemque te audio: ab aliis hominibus, qui mihi meis fortunis inuident, me meamque felicitatem turbant, valde turbant. Erras, mi Garrule! Non turbant. Turbare solummodo videntur. Omnis enim turbae causa quae-  
renda

(\*) Legi merentur Gust. Phil. MOERT de modo dirigendi omnes actiones nostras ad gloriam Dei, diss. 1701. Altorf. habit.

renda est in praecipuis tuis affectibus, qui sunt *ambitio*, *vo-  
luptas*, *avaritia*, quae omnia vincere debes: quibus deui-  
ctis intelliges, omnia posse tolerari. Decet hominem, pra-  
primis sapientem, suam, qua pollere satagit, factis non inani-  
bus et stoicis verbis ostendere sapientiam. Decet illum expe-  
rientialia doctum omnia recte agere et tolerare aduersa. Ne-  
que mortis, neque vinculorum, neque verberum tristis imago  
 oculos mentemque percillere debet. Vita cum basis ac fun-  
damentum sit omnis felicitatis; (\*) necessario efficitur, vt, li-  
cet etiam media ad finem deficiant, vel deficere videantur, ex-  
pectemus finem, nec de eo obtainendo desperemus. Experi-  
entia enim teste multi, de quorum vita actum credebatur, mor-  
tis fauibus eo tempore, quo de omnibus conseruandi mediis  
dubitabatur, fuerunt erepti. Insuper non Ethica solum, sed  
ipsa quoque naturalis religio hoc grauissimum prohibet scelus.  
 Docet nos ratio, venerari nos debere Deum: cogitandum no-  
bis esse, Deum nos creasse et sic etiam, quae eius in homines  
est gratia, prouidam nostrum gerere curam: nos vitam omnia-  
que alia illi debere, hinc recte colligere mihi videor, in nos  
aeque ac nostrum creatorem nos esse iniurios, si vitam a Deo  
nobis quasi commodatam sine illius iussu pro lubitu nobis e-  
ripiamus; quod iam veteres docuerunt Philosophi. Sic CICE-  
R<sup>o</sup>, (\*\*) viuendi finis, scribit, est optimus cum integra men-  
te certisque sensibus, opus ipsa suum eadem, quae coagmenta-  
uit, natura dissoluit. Ut nauem, vt aedificium idem destruit  
facillime, qui construxit: sic hominem eadem optime, quae  
conglutinavit, natura dissoluit. Iam omnis conglutinatio re-  
cens, aegre; inueterata, facile diuellitur. Ita fit, vt illud bre-  
ue vitae reliquum nec auide appetendum senibus, nec sine  
causa deserendum sit. Philosophia Ethnico superior! Verba  
cuilibet homini commendanda! Vetat Pythagoras, pergit  
**TULLIUS**, (\*\*\*) in iussu Imperatoris i. e. Dei de praesidio et sta-  
 B 2

tione

(\*) Vid. THOMASII *Einleitung in die Sitten-Lebre*. C. II. 24.

(\*\*) CICEKO de Senect. XX.

(\*\*\*) TULLIUS loc. laud.



tione vitae decedere. Audi Socratem apud Platонem: dixisse Socratem, nefas esse, hominem sibi manus inferre, nec alter Deum irasci, si id fiat, quam Dominum si quando iniussu sui mancipium se occiderit. Contrarium plurimi Philosophorum, qui vel spontaneam mortem ipsi subierunt, vel laudibus salutis extulerunt, statuerunt. Colligebant, melius esse non existere, quam existere miserrimum: conuenientius esse, carere vita, quam ipsa morte acerbiorem ducere: mortem omnium misericarum esse finem. (\*) Errarunt, valde errarunt. En Plinium quoque errantem! (\*\*) Terram, enunciat, matrem nostri misertam venena instituisse, ut scilicet facillimo eius haustu, illibato corpore et cum toto sanguine extingueremur, nullo labore sicutibus similes. Lege Senecam eidem errori deditum: (†) Exerce te, scribit, ut mortem excipias, et si res ita suadebit, arcessas. Interest nihil, an illa ad nos veniat, an ad illam nos. Error, qui nullo modo excusari potest! Rem si rite intuemur, facili negotio animaduertimus, eum, qui negandum autochiriae crimen committit, (††) sibique ipse violentas iniicit manus, maxime in se ipsum esse iniurium, eandemque esse saevitiam, qua fere maior cogitari in se nulla potest. Autochiriam itaque ex Principio: Conserua te ipsum, siue Perfice te ipsum: illicitam esse, quis est, qui negget?

### S. V.

*Autochiriae referuntur quaedam species.*

VITAE conseruationi si recte consulere velimus; nostrum erit, membrorum quoque integritatem curare et animae

(\*) Magnam praestantissimorum virorum, qui mortem sponte sibi conseuerunt, copiam refert HEYMANNVS de Autochiria philosoph. d. len. hab.

(\*\*) PLINIVS H. N. 11. 63.

(†) SENECA Ep. 70.

(††) Recte dixerunt veteres, neminem membrorum suorum esse dominum.

cum corpore coniunctionem non molestam nobis reddere. Debemus facultatibus ita vti, vt earum usus respondeat fini, ob quem natura, siue potius naturae Auctor iisdem facultatibus instruxit corpus. Quae cum ita sint, nemo, nisi insanire videatur, erit, qui neget, multos esse, qui sponte, nescientes tamen, vitae filium abrumpant, quapropter non inutile esse puto, si quasdam referam Autochiriae species. Autochiria cum sit illicita; quilibet id agere debet, ne vires corporis debilitet sanitatisque rationem postponat, eoque ipso animae eiusque viribus noceat.

PROPERTY speciebus ad numero omnem nimium con-  
cubitum, (†) quem presso pede sequitur corruptio sanitatis: qua  
corrupta, vires tempestive senescunt, et vitae filum abrumpi-  
tur. (\*) Non pensant eiusmodi homines vanitatem ac de-  
formitatem huius vitii. Non perpendunt, hoc vitio tranquil-  
litatem animi, quam recte laudat Epicurus, (\*\*) valde turbari.  
Non intelligunt, vel intelligere nolunt, hanc volupatem, si  
sit tantummodo esse momentaneam. Ipsi adeo coniugati  
in id crimen saepissime incident. Sunt enim plerique, qui  
credant, in coniugio quamlibet volupatem esse immunem;  
cum tamen non ignorant, nostrum esse libertate coniugii  
contra finem non abuti. Degustant tales coniuges iuuentu-  
tis flores, defatigant vires, eneruant succum et sanguinem, eo  
ipso se laedunt, sanitatis robur destruunt, iniurii sunt in se  
et ipsam rem publicam, quae vero fine, generatione scilicet  
conseruatur, amplificatur. At vehementer quoque peccant  
in Deum, matrimonii conditorem. Regulam, quae omnibus

(†) Placent, quae traduntur in L. fin. §. 5. C. de bon. quae lib. ibi: Melius est coactare iuueniles calores, ne cupidini dediti tristem sentiant extum, et post causam vulneratam quaerant remedia.

(\*) De quibusdam equis Rom. quos nimia venus occidit. vid. PLINTVS H. N. VII. 53.

(\*\*) Vocabulo τῶν, οὐδὲν vtitur Epicurus. Cf. V. C. WIESANDII, de eius fauore mini gratulor, d. de officio interpretis circa Sectionem Seriptoris §. 10. Lips. me defensore 1756. habita.

hominibus in omnibus negotiis est commendanda, plane ignorant; facienda scilicet esse ea, quae finem necessario promouent, et omittenda ea, quae eum impediunt necessario.

**ALIA** Autochiriae species est immodicus cibus potus, et vti Apostolus loquitur, omnis *νοσημή ἐπιθυμία*, quibus quis se suaſque vires debilitat et in propriidii crimen incidit. Reete iis acclamatur :

En Laschesis gaudet, si pascitur inguine venter.

Nimia bilis et ira corporis et animi vires turbat, defatigatque adeo, vt, quibus cholera, sit venia verbo, pro dominante affectu est, irati sibi similes non videantur. Tigrides imitantur; at si effectum respiciant; animaduent, iusto citius mortem eiusmodi homines sibi accelerasse, eoque modo in se saeuisse, et in se fuisse iniurios. Saepe quaerunt remedia, at post vulneratam causam haud facile inuenitur medela. Herculei labores, quos saepissime hominis humeri ferre recusant, efficiunt, vt, qui eiusmodi labores subeunt, ne sentientes quidem corpus fatigent, vires destruant, valetudinem corrumpant, et mortem ad se attrahant. En iniurias immodicis laboribus sibi illatas! Herbae, quam vocant, Nicotianae nimius vsus non parum confert ad contrahendam valetudinem. Siccat, torret, eneruatque succos. Omnibus aliis relictis propero ad studia, quae morbis, si quis diu noctuque iis nauet operam, ansam praebent. Recte quidem **CICERO** (\*) studia, inquit, adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium ac solarium praebent: delectant domi, non impediunt foris: pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. At cum ubi-uis nimius vsus noceat, ita etiam nimias lucubrationes nocuas esse, ipsa historiarum docent monumenta, quae nobis fitunt viros, qui studiis adeo fuerunt dediti, vt ciborum, potus, somni omniumque ad conseruandam valetudinem obliti

(\*) CICERO pro Archia VII.

in morbos eruditis fere proprios inciderint, ipsique mortem  
quasi ad se vocarint. Solatium iis, qui eruditii nomen verbis  
quidem, non re affectant! Non pallescent illi. Timent ma-  
lam hypochondriacum, hecticam et alia morborum genera.  
Ceterum cum quilibet homo omnem nauare debeat operam,  
ut evadat virtuosus; quilibet intelligit, eum, qui virtutibus  
non studeat, maxime in se ipsum existere iniurum. Affer-  
rem nunc casus, quibus suas facultates dissipando quis contra  
se peccet et in se faeciat; at ne nimis longus sim, ad aliam  
progredior scientiam.

## §. VI.

*Ex praeceptis Theologiae naturalis sistuntur in-  
iuriae in se ipsum.*

**V**IDI MVS, officia hominis erga se ipsum alia respicere cor-  
pus, alia animum, alia statum sive fortunam Quoad  
Ethices principia intelleximus, ex iisdem quemlibet sibi obli-  
gari ad conseruationem vitae et sanitatis et membrorum: qua  
neglecta, in se ipsum faeuire et in se existere iniurum animad-  
vertimus. At quid, si officia erga se et alios inter se collidan-  
tur? (\*) Legibus naturae consentaneum est, officia, quae quis  
sibi ipsi debet, officiis, quae aliis praestare tenemur, esse  
praeferenda. Nunc progredior ad ea, quae Deo praestare  
debe-

(\*) Cf. Vir. III. AYRE in d. de Collisione protestationum illustrum etiam  
nouissimaruui circa questionem, quis sit caput legitimum ordinis aurei  
velleris? Goett. 1749 vbi Sect. 11. §. I. Collisionis docet significatum,  
et Auctores in nott. nominat. Collisionem Legum voco statum eum,  
quo media cum fine pugnant: quam si inveniaris definitionem, facile vi-  
debis, recte affirmari, necessitatem extream non habere legem. Deus  
enim vult me conseruari. Ergo dedit et media. Fieri autem potest, ut  
medium sit impossibile, & finis nihilominus obtineri possit. Ex his ad-  
paret, in collidens legibus semper aliquem laedi, ratio, quia in iis ca-  
ribus, vbi leges collidunt, applicatio legis vere talis est impossibilis. Mi-  
nimum ergo, quod respectu mali maioris est bonum, eligendum erit ma-  
iorum. Interim optandum esiet, ut per omnem philosophiam moralern  
doceretur collisione Legum.

debemus, officia. Ea ad Theologiam naturalem pertinere nemo negabit. Theologia vero naturalis, cum nos doceat Deum, eius perfectiones, cultumque, quatenus e lumine naturae cognoscuntur; non abs re esse credo, paucis haec demonstrare,

DEVM existere vi propria sibi que ipsum sufficere ad existendum, esse a se ipso omnibusque perfectissimis perfectionibus actu gaudere, atque eo nihil posse cogitari neque maius, neque praestantius, neque excellentius, docet Ratio, ex qua cognoscitur Deus eiusque leges, quas summus Legislator isque sapientissimus indidit hominibus. Audi CICERO NEM sic loquentem : (\*) *Innata quadam vis religionem inservit. In eo omnis beatae vitae ratio consistit; quandoquidem facti sumus non ut coelum videremus et solem, sed ut artificem solis et coeli, DEVM, pura et integra mente coleremus.* Numinis cultum commendarunt Aristoteles, Isocrates, Laertius, Seneca, Cicero et alii ex veteribus; quem sane non inculcassent, nisi intellexissent, esse Numen omnibus aliis superius omniumque aliorum causa, quod coli et vellet, et quod coleretur maxime dignum esset. Plenius vero, quam ipsa ratio, idem docet Reuelatio, siue supernaturalis Manifestatio.

ASSERYI iamiam, Deum nos creasse, eundem nobis pro sua diuina eaque illimitata Maiestate imperare: nobis suam, quae eius est sapientia, voluntatem praescripsisse, nosque ex illa ad obsequium praestandum illi esse obligatos. Quae omnia si recte consideremus, intelligimus, Deum coli velle; hinc o ritur quaestio, vnde Deum coli velle sciamus? Summum Numen hominis naturam ad id cognoscendum formasse idoneam, ex ipsa natura meditando et ad nos reflectendo conicere valemus. Instruxit, donauit hominem ratione, quae nos Summi Legislatoris docet voluntatem, secundum quam nostras dirigere debemus actiones. Ratio, quam omnibus et singulis in

(\*) CICERO de Invent. II.

esse voluit Summum Numen, si ea recte utamur et ipsi meditemur, nos egregie docet, quid in honorem Creatoris mundique Rectoris sit faciendum? quid omitendum? Docet, cur ita agere, et non secus, conueniat? Dicit nos eadem, cum reflectendo nos existere, nobis inesse mentem ratione praeditam, variisque nos gaudere perfectionibus comprehendamus, ad Ens omnibus aliis superius, potentius, praestantius, cui nos omnes *τὸ* Esse debemus: quibus consideratis, facili negotio animaduertimus, illud Ens, quod nos produxit, cui motum agendique conatum debemus, quodque tam beneuelam nostrum gerit curam, esse Ens independens, infinitum, omniumque finitorum causam: esse Ens, quo prius cogitari possit nihil. At cum homines, quae nunc eorum post lapsum depravata est natura, non intelligent semper, quid conueniat voluntati diuinae, quatenus cognoscitur ex ratione, addidit, o quae hominum felicitas! quae Dei gratia! specialem reuelationem, qua, quicquid rationi obscurum et non satis cognitum est, vel plane esse non potest, placius, clarius, pleniusque explicatur. (\*) Vtriusque vero et Naturae et Gratiae limites accurate sunt constituendi. Ex his enim adparent officia, quae obseruare debet homo, qua Christianus, ex illis, qua homo, qua homo. Sat sunto! Ad rem. Voluit Deus nostram felicitatem, eamque veram. Indidit nobis naturalem eandem obtinendi, infelicitatem vero auersandi ac declinandi instinctum. At quae, quaero, vera felicitas? Veram eamque summam nostram felicitatem confistere statuo in verorum bonorum fruitione ac perfectione: quorum summam tranquillitatem (\*\*) esse affirmo. Tranquillitatem

(\*) Cf. I. Willh. GOLLING d. de necessit. Reuelat. vbi. §. XI. sub lit. c. de Reuelatione sic scribit: Reuelata (theologia) superaddit naturali theologie (quae ex sola oritur ratione) quae paedagogi instar est et dampn ad reuelationem manuducit, homines reddit *αιντοσογύντες* Rom. I. 20. vid. TURRETINVS et LANGIUS de eadem, et Ern. Flor. RIVINI d. de Reuelatione diuina. Lips. 1729.

(\*\*) Recte GUNDLINGIUS felicitatem, quietem, tranquillitatem et indolentiam continere assert I. N. et G. C. I. 13.

litateim autem adquisiuisse nos dicimus, si vere cum Deo nos  
vnitos esse intelligamus. (†) Vno cum Deo aliter cogitari  
nequit, ac si eum, quocum vniāmūr, optamus, perfecte cognos-  
camus, perfecte desideremus, quaeramus et tandem in eo ad-  
quiescamus. (††) Adquiescere si vere in eo cupiamus, ne-  
cessē est, vt omnia fugiamus, quibus Deum vlo modo laede-  
re ac violare adnimaduertimus: vt potius omnia faciamus,  
quibus Deus eiusque perfectiones laedantur magis magisque  
cognoscuntur. En necessitatē cultus, quem Deo vere debe-  
mus. Ratio (\*) aequē ac reuelatio cultum diuinum praeci-  
piunt. Theologia naturalis cum doceat cognitionem Dei eiusque  
cultum, quatenus ex ratione, cui quicquid nobis pro nostra na-  
tura obscurum est, succurrit Reuelatio, perspicitur, necessario  
efficitur, vt secundum hanc scientiam in nos ipsos existamus  
iniurii, si omitramus, quibus cognitio Dei adquiritur, quibus  
nostram perfectionem reddimus animam: si omitramus, quae  
nos nostramque felicitatem eamque veram promouent, et  
tranquillitatem efficiunt: si negligamus ea, et vnonem cum  
Deo adquirere non conemur. Eo vero magis, oportet, si-  
mus in nos ipsos iniurii, cum ipse Deus sapientissimus Crea-  
tor nobis nostram felicitatem omni modo appetendi, infelici-  
tatem vero nostram omni conatu auersandi indidit instinctum.  
Felicitatem quod attinet, cum contineat quietem sive tranquil-  
litatem, quae se exserit vel interne, vel externe; illa est vel in-  
terna, de qua praecipue hic loquimur, vel externa. Illa, vri-  
recte asserit Gvndlingius, (\*\*) in libertate et vacuitate

prauo-

(†) Vid. Dan. Gottl. METZLERI d. de officio hominis, quod aliis debet ra-  
tione summae ipsorum felicitatis, habita Lips. 1713. Cap. I. §. 4. sqq.

(††) Cf. RIVINI d. laud. §. 4.

(\*) Ethnici ipsos theologiam naturalem professos esse, eundem ex ratione  
cognouisse cultumque Numini diuino inculcasse, docent CICERO, SE-  
NECA, ISOCRATES multique alii. Cf. Godfr. Viet. MOEHRINGII d.  
Vitemb. bab. de Principum iure circa religionem, vbi thes. I. multa.

(\*\*) Gvndlingius in I. N. et G. Cap. I. §. 13-16. cf. V. C. WIESAN-  
DII, I. N. et G. §. 34.

prauorum affectuum consistit, atque externam simul comple-  
titur; non haec illam. Qui enim intra mentem a prauis  
affectibus liber est et ab illis non turbatur; ille etiam in exter-  
nos actus quieti sive tranquillitati contrarios non erumper.

## §. VII.

*Demonstrantur iuris aeterni praecepta circa in-  
iurias sibi illatas.*

**L**EGES, quas Ius Naturae tradit, continent officia erga ali-  
os in societate, sive officia iustitiae externae. Ad iustiti-  
am nos esse natos, ipsaque natura inter se sociatum esse genus  
humanum, recte afferit **TULLIUS**, (\*) et alio loco his vtitur  
verbis, (\*\*) quae ad Ius aeternum egregie applicari possunt:  
Est lex quaedam non scripta, sed nata, quam non didicimus,  
accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripiimus, hausi-  
mus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non institu-  
ti, sed imbuti sumus. Licet vero Ius naturae sit vnum, aeter-  
num, immutabile ac indispensabile, Doctores tamen iuris ae-  
terni de illius Principio adeo inter se dissentunt, vt fere ne-  
sciamus, quid sit afferendum? Alii pro materiarum diuersitate  
diuersa et vno plura admittant Principia. Alii nulla, qui  
mihi videntur aquam haurire, vbi nullae inueniuntur aquae,  
et fontes defunt. Alii vnum, et recte, assumunt Principi-  
um, cuius requisita sunt, vt ex ipsa natura humana pro-  
fiscatur: vt neque plus neque minus in se contineat, et  
cuius probatio facile concipi possit. At enim vero inter  
ipsos eos, qui statuunt, generalem quandam adesse debere  
proportionem, ex qua omnes aliae leges deduci possent spe-  
C 2 ciales,

(\*) **CICERO** L. I. de LL. hinc etiam factum esse credo, vt Stoici lauda-  
rint *οἰκείων*, quam **ICTUS FLORENTINVS** in L. III. D. de I. et I. in-  
terpretatur per cognationem, quam ipsa natura inter homines constituit;  
falso nonnulli hanc graecam vocem exposuerunt per Societatem, quam  
deinde pro Principio I. N. assumerant.

(\*\*) **CICERO** in Orat. pro Milone IV.

ciales, maximus regnat dissensus. Ego non morabor, sed  
quae sentiam, statim addam. Placet GVDLINGIVS. Pa-  
cem, scribit, (\*) *Externam ante omnia sectare et serua:*  
at vellem, ne addidisset verba: *vbi haberri potest.* Sapiunt  
haec verba bellum; quod Philosophus Malmesburiensis, puta  
Hobbesius, defendit, (\*\*) omnium contra omnes. Pacem ex-  
ternam cole: est, vti mihi videtur, verum, euidens ac adae-  
quatum iuris aeterni Principium. Vult enim Deus, pro sua  
sapientia vult, vt pacem colamus externam, et cur? vt no-  
stram simul promoueamus felicitatem: feliciter si externe vi-  
uere cupiamus, necesse est, vt cum aliis viuamus; hinc sem-  
per felicitas externa relationem continet ad alios, et ne cogi-  
tari quidem ac mente concipi potest sine aliis. Pax externa,  
si coli rite debeat, requirit iustitiam externam, quam si pona-  
mus, statim intelligimus, alios neque esse turbundos, neque lae-  
dendos. Intelligimus, Ius Naturae praincipere externe viuere  
iuste et iniustitiam prohibere omnimodam. Alios vero tur-  
bare ac laedere videmur, si illis inuitis ius adimere conemur,  
et si nobismet ipsis ius quoddam adimi patiamur, vbi contra-  
dicere possumus, nos ipsis laedere ac turbare et nos ipsis in-  
iuriis afficere dicimur.

EXTERNE cum quilibet iuste viuere, se statumque suum conseruare et suam promouere debeat felicitatem; sequitur, vt neutiquam cum aliis perpetuo pugnare, nulla aliis eorum, que fortunis inferre damna, vt potius affectuum suorum esse debeat dominus: sequitur, vt neminem contemnere siue exter- nis actibus inaequalem declarare (\*\*\*) aut minus, quam decet, tribuere: vt neminem contumelias ac conuiciis afficere: nemini

(\*) Nic. Hieron. *Gyndling* in I. N. et G. C. I. §. 18.

(\*\*) HOBESII principium non ut principium in se, sed per accidentem considerari debere affirmo. Videbat in Anglia turbulentissima tempora, quapropter assumisse videtur eiusmodi principium. cf. V. C. G. St. WIE SANDII d. de officio interpretis circa Sextam Scriptoris §. XII.

(\*\*\*) Vid. GUNDLINGIVS I. N. et G. C. V. 7. sqq. in GRAVE. (\*\*) 16

ni famam, laudem aestimationemque detrahere: neminem vulnerando aut occidendo turbare: nemini insidias struere: alterius vitae infidiari: mendacia, quibus aliis se nocere intelligit, non dicere: non furari: aliis inuitis res non surripere, fortunasque non diminuere: ut potius quemlibet aequalem habere: cuilibet bona adquisita, quibus quis instructus est, tranquille relinquere, neminem seducere aut, ut contra leges agat, persuadere: pacta iuste inita seruare: fidem datam nullo modo violare, et ut brevis sim, neminem laedere aut externe turbare, sed suum cuique tribuere debeat. (\*) Quae si rite intueamur, ad nos ipsos reflectamus et, quae dixi, inuertamus; facili negotio intelligi potest, nos, dum pacem externam turbemus, simul nos violare, nostram felicitatem turbare, statum nostrum subruere, alios ad vindictam, quam in statu naturali recte vocant bellum, incitare, et efficere, ut nos ipsos contra volitionem Dei infelices reddamus. Quicunque vero ea, quibus se statumque suum meliorem, feliciorem (\*\*) tranquilliorem efficere potest, transgreditur, eum non contra alios solum peccare, sed simul in se ipsum saevire sequre ipsum iniuriis laceſſere, quis est, qui negare audeat? En modum, quo quis ex praeceptis iuris aeterni et alios et se ipsum laedere et in se iniurius dici potest! Ius gentium quod attinet; idem asserendum erit. Est enim Ius Gentium Ius Naturae ad gentes relatum et applicatum. Quemadmodum in I. N. singulae considerantur personae; ita Ius Gentium locum habet abstractio ne duarum personarum ad duas gentes. (\*\*\*) Plura addere possem;

(\*) Tria, quae posuit TRIBONIANVS in §. 3. I. de I. et I. quaeque plurimi sequuntur principia, si poneremus, egregie Politicam cum I. N. confunderemus. Praecipit Lex Naturalis iustitiam, quae simul suum cuique tribuit. Honestatem non docet, licet non prohibeat, sed permitat. Insuper nemo negabit, vno ex his posito alia ut corollaria sequi. At mihi videatur non accurate distinguere, quid sit iuris naturae? et quid illi congruum: hinc lacrymae!

(\*\*) Cf. GUNDLINGIVS in I. N. et G. C. I. 26.

(\*\*\*) Ut exemplo assertum illustrem; hoc habe: Cains Maeui fortunis inhiare



possem; at ne contra instituti rationem peccare videar, defi-  
stam, in primis cum quilibet ad se respiciens, ipse facile vide-  
bit, omnem in Iure Naturae iniustitiam, inuoluere laesionem er-  
ga alios: omnem virtutum moralium intermissionem laesionem  
in se ipsum, et denique omnem omissionem virtutum (intel-  
lectualium) et earum praeprimis, quae ad cognitionem Dei  
eiusque voluntatis ac cultus faciunt, laesionem in Deum: omnia  
vero, quae breuiter comprehendi, simul continere iniurias,  
quibus quis seipsum, quatenus ratio, sana scilicet ac recta, do-  
cet, maculat ac vere afficit.

### G. VIII.

#### *Iniuriae sui ipsius ex Politices praeceptis.*

**O**FFICIA esse vel perfecta, vel imperfecta, iam tradidi. (\*) Perfectis, quantum institutum permisit, absolutis, progre-  
dior ad imperfecta, quae nos docet Politica. Dicuntur officia  
imperfecta, quae alias amoris, humanitatis, (\*\*) amicitiae, be-  
nevolentiae adpellentur, quae iuri alterius imperfecto respon-  
dent, et, cum ad haec praestanta alter alteri imperfecte obli-  
gatus sit, media desunt coactiva. Politica itaque suadet hu-  
manitatem, amicitiae ac benevolentiae cultum. At ut sciamus,  
quid contineat Politica? hoc tene principium: *Vive cum aliis,*  
sive, quod idem est: *Praesta aliis officia humanitatis.* Recte  
igitur  
inihiare aut illis damna inferre non debet; et cur non? ne turbet pacem  
externam. En ius naturae! Adiunt duae personae singulatim inter se  
consideratae, hinc adplica illud ad Ius Gentium. Quemadmodum Ca-  
jius Maeuium nullo modo laedere ac turbare debet; ita nec Portugallia  
Hispaniam. Si vero Ius Naturae referamus ad Principem et Populum;  
oritur ius ciuitatis: et si ideo ponamus relativum ad duos ciues; ius  
publicum vniuersale. In omnibus vero vere adest Ius Naturae, quod  
tantum ex diuersis ideo relativis et adplicatis diuersa nanciscitur no-  
mina; hinc diuersas Principum conditiones, de quibus elegantem Lips.  
1754. habuit dissertationem V. Cel. Chr. Henr. BREVNING. Fautor ac  
Praeceptor Optimus, Certissimus, diiudicandas esse affirmo.

(\*) Cf. §. III. h. d.

(\*\*) Cf. Carl. Frid. HOFFMANNVS de officiis humanitatis eorumque ob-  
ligatione Witteb. 1762. vbi §. VI-X. varia humanitatis officia belli tem-  
pore refert.

igitur afferit GVNDLINGIUS, cum sociis esse viuendum. (†) Solus enim si Adamus cum dulcissima Eva mansisset in Para-diso; non opus quidem esset officiorum praestatione, sed quae quae felicitas? (\*) Nos igitur ipsos nostramque naturam si conseruare, vera humanitate frui nosque vere felices vide-re cupiamus; viuamus necesse est cum aliis, quibus relinquere debemus libertatem externam (\*\*) iura, quae cuilibet vel natura vel pacto competunt. Iisdem praestare debemus officia huma-nitatis, amoris, amicitiae. Quilibet enim alteri, quod sibi ipse, debet, ita tamen, ut si officia inter se collidunt, ea vin-cant, ad quae maior est obligatio. (††) At si quaeratur, an ab aliis petere possimus officia humanitatis, amicitiae, atque amo-ris? semper ex principio: Viue cum aliis, siue quod tu vis fieri tibi, alteri et facias: facilis erit responsio. Cuilibet ius compete-re ab aliis petendi, at non extorquendi officia, constanter affir-mo. Dependet enim ab arbitrio ac voluntate illius, a quo pe-tuntur, qui si tum ferreus esse velit, ut alteri humanitatem de-neget, cogi nequit. Licet vero cogi nemo possit; vident tamen quilibet, si rationem et regulas decori sequi velit, neminem al-terius vacare posse officii. Recte igitur CICERONEM sensisse animaduertimus. Nulla, inquit, vitae pars neque publicis, neque priuatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest: in eoque colendo sita vitae est honestas omnis, et in negligendo turpitudo. Et paulo post pergit: Qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat cum virtute coniunctum, idque suis commodis, non honestate, (†††) me-titur; hic si sibi ipse consentiat, et non interdum naturae bo-nitate vincatur, sit, ut neque amicitiam colere possit, nec iusti-tiam, nec liberalitatem. (\*\*\*) De decoro, cuius natura ac in-

D. doles

(†) GVNDLINGIUS I. N. et G. c. I. 26.

(\*) Cf. HOBESIUS in Leuiath p. m. 209. quem refutauit in comment. de Sponsaliorum ex I. Nat. Ciu. ac. Germ. different. §. 3. Jen. 1761.

(\*\*) v. GVNDLING. I. c. C. III. 15. VLPIANVS in L. XXXII. D. de R. I.

(††) v. §. VI. h. d.

(†††) Honestatem plerique definiunt, esse conformitatem actionum cum voluntate diuina et ratione recte constitutam. Pertinet ad Ethicam.

(\*\*\*) CICERO de Off. I. 2.

doles ad certa atque vniuersalia principia haud vnquam reuocari potest (\*) haec profert idem terissimus Orator: De cori quod graece πεπον dicitur, vis ea est, vt ab honesto non queat separari. Nam et quod decet honestum est, et quod honestum est, decet; et paucis interiectis scribit: Nam et generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honestate pertinet ad singulas partes honestatis. Atque illud superius sic fere definiri solet: decorum id esse, quod consentaneum sit hominis excellentiae in eo, in quo natura eius a reliquis animalibus differat. Quae autem pars subiecta generi est, eam sic definiunt, vt id decorum esse velint, quod ita naturae consentaneum sit, vt in eo moderatio et temperantia cum specie quadam liberali. (\*\*) Sufficient haec. Ad rem proprio.

NON inquiram, quas Politices regulas in regendis rebus publicis, eligendis ministris, alendis et colligendis militibus, condendis legibus, locupletandis subditis, conseruanda securitate obseruare, quamque Oeconomiae rationem sequi debet at Princeps? Non dicam, quibus scientiis, inter quas Politicam primum locum occupare certum est, opus sit Principum ministris? nec referam officia subditorum, quorum prima praecipuaque cura esse debet, vt omnes cogitationes curasque in reipublicae salutem desigant, eamque omni studio ac diligentia curare debeat. (\*\*\*) Paucis tantum, quae cuilibet homini ex Politices praepitis sunt facienda, et quibus se ipsum iniuriis afficere potest. Cum aliis cum sit viuendum; cuiuslibet esse videmus, vt aliorum quaerat amicitiam, benevolentiam ac amorem. Status eorum, qui singulari amore (†) se inuicem amplectuntur, et spectata fide ac familiaritate inter se coniunguntur,

(\*) Cf. V. C. WIESANDI Ius N. et G. in praef. Aug. Frid. MULLERI, cuius cineres adhuc veneror, egregie docet, decorum stricte sumptum differre ab honesto in der Polit. c 5. §. 2.

(\*\*) CICERO I. c. c. 27.

(\*\*\*) Cf. V. C. Chr. Lud. KIRSTEIN eleganter et pererudit conscript. diff. quam Lipsi. 1749. de vera ciuitatis felicitate habuit.

(†) Amor singularis ex quo familiaritas, ac fides ortum ducit, ab amore communi, quem homines erga alios obseruant, differt. Amor semper coniunctus est cum desiderio amoris reciproci, de quo si constet, dicitur amor singularis; si de illo nihil certum est, communis.

tur, dicitur amicitia. Perfecta amicitia est rarissima ; (\*) hinc prudentiae esse affirmo, vt homo virtuti serio deditus, si eiusmodi inuenire nequeat, qui aequali virtutis studio atque amore gaudent, etiam hominibus vanitati deditis amice ac familiariter vtratur, quam amicitiam vocant subsidiariam. (\*\*) Intelligimus, amicis plerumque multum inesse simulationis ac dissimulationis. Homines insuper non sunt iidem, sed plus iusto peruersos, quibus se dederunt, sequuntur affectus ; hinc multi amicitiae vel plane expertes vel saltem oblii eos decipiunt, defraudent seque eorum fortunis locupletare conantur. (\*\*\*) Inconstanter plerique, de quibus suo tempore valde conquestus est OVIDIUS :

Vix duo tresue mihi de tot superestis amici (†)

Tempore sic duro est inspicienda fides. (††)

Iamque relinquenda (quod idem fecere sodales)

Tu quoque dixisses tristis in vrbe. Vale. (†††)

En ego non paucis quandam munitus amicis

Dum flauit velis aura secunda meis. (\*)

Cuiuslibet est, vt vnicuique comiter, humane ac beneuole, quantum potest, succurrat : vt ipse quoque eo tendat, vt, ne molestus aliis existat, sibi adquirat tantas, quantas iustis mediis parandi inuenitur occasio, facultates. Absit vero omnis iniuritia, fraus dolusque : vt operam det, quantum fieri potest, vt apud omnes amorem ac amicitiam sibi conciliceret, conciliatam seruet. Se omnium amore, beneuolentia atque amicitia reddere dignum quilibet debet ; at peccaret, si omnium consequi conaretur : vt in omnibus decorum, ne sibi apud alios con-

D 2 tentum

(\*) E monumentis rarissimae amicitiae exempla nobis reliquerunt Pylades et Orestes, Moerus et Selinus vires, Lucilius et Brutus, Nisus et Euryalus, Damon et Pythias, at ybi hodie tales amici ?

(\*\*) Saepissime animaduertimus, homines vanitati vtrinque deditos inter se pangere amicitiam ; quam tamen non amicitia ; factionem potius nominare vellem.

(\*\*\*) OVIDIUS Ep. ex Pont. II. 3. 8. sic canit.  
Vulgus amicitias utilitate probat.

(†) OVIDIUS Trist. L. I. 4. 33. (††) l. c. v. 26.

(†††) IDEM Trist. L. III. 13. 19.

(\*) IDEM Epp. ex Pont. II. 3. 25. sq.



temptum pariat, obseruet, et ut omnia paucis comprehendam, virtutes sociales accurate obseruare tenetur. Naturam enim humanam socialem et ex socialitate felicem condere ac efficere placuit Deo. Quae si rite intueamur, perspicimus, Politicam in omnibus fere scientiis, sola Theologia excepta, practicis maximum praestare usum, neminemque ea in vita communi care re posse. Quicunque igitur ea negligit, ad quae praestanda aliis imperfekte obligatus, officiaque humanitatis, benevolentiae ac amoris aliis denegat, eum in se ipsum consequenter existere iniuriosum, nemo negabit. Dum enim omittit ea, quibus sibi aliorum benevolentiam, humanitatem, amorem, amicitiam adquirere posset; facile est intellectu, sibi parere inimicitiias, odium, malevolentiam, quibus paratis ab omnibus contemtus sibi ipsi, oportet, existat iniurius, suaque ipse resistat felicitati, quam si quis vere, est enim omnis vitae humanae finis, obtinere cupiat; necesse est, ut eandem recta via atque eo subsidiorum ordine, quem Deus ad finem constituit, persequatur.

### S. VIII.

#### *Conclusio.*

**L**ICET plura, ut de poena naturali, de morsibus conscientiae, et alia addere possem, sufficient tamen haec pro instituti ratione dixisse. Plura enim si adiicerem; vererer, ne haec lucubratiuncula, quos huic opusculo posueram, limites excederet. Sit itaque hic commentationis, quam aequissimo, Amice ac Lectore Benevolentie! arbitrio committo, terminus: modestam non rigorosam expecto censuram, mendasque, si quae forte irrepserint, eliminato Tuo iudicio relinquo. Ceterum si audire mihi contingat, hanc meam lucubratiunculam viris doctis non displicuisse, valde mihi gratulabor: at quod aequi fieri potest, si quibusdam liuore ac inuidia ductis in totum dispercat, plane non erubescam, sed OWENI verba, quae iam mea facio, hilari fronte opponam:

Qui legis ista, tuam reprehendo, si mea laudas.  
Omnia, stultitiam, si nihil, inuidiam.

T A N T V M .





Fv 17524

ULB Halle  
005 461 545

3







**Farbkarte #13**

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Green Yellow

Blue

1  
Centimetres

DE  
**I N I V R I I S**  
**S I B I I P S I I L L A T I S**  
LIBER SINGVLARIS.

A V C T O R  
**S A M V E L R E I C H E L**  
L I P S I E N S.  
SOCIET. FENENS. LATIN. SODALIS

SOCIET. IENENS. LATIN. SODALIS

VITEMBERGAE A. S. R. CICICLIXI.

PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI ACAD. A TYPIS.